

Christen Friis Rottbøll

f. 1727. d. 1797.

(31) Amplissimo et Perillustri
 Archiatro atque Equiti C. Linnæo
 S: P: D:

Christianus Friis Rottbøll

Patriam vidi, nec prius vidi, quam Tui memor D^{num} Kratzensteinium adii comperturus, an jam dudum a Te desideratas misisset tabulas, regessit ille aliquo abhinc tempore esse missas et quidem cum Concionatore Vestræ aulicæ, qui Holmiam tendens, cum non recta iter institueret suum, sed Gothoburgum prius adiret, inde, si ibi forte diutius hæreret, Upsaliam commissas sibi tabulas transmittere est pollicitus, speramus adeoque te eas jam jam tenere. Nuper D. Justi Goettinga huc vocatus est, incertum eqvidem utrum spartam Professoris Oeconomici vel Præfecti argentifodinarum Regis montanarum obtineat, ultimum tamen verosimilius judicatur. Gratias tibi quam maximas ago, majores debeo pro tot insoliti favoris argumentis, quibus me vobiscum habitantem cumulasti; ut duos ornatissimum Lyceum vestrum saluturos studiosos benigne, quæ tua est humanitas, excipere digneris, rogo. Veniunt avida mente ex ore tuo mellifluo præcepta haurire, certissime sum persuasus, te ipsorum expleturum desideria. D^{num} Solandrum honestissimum hominem svavissimum amicum, cui per studiosos, qui paucis ante diebus abiere, scripsi, nec non experientissimum D^{num} Holmium Fagræum Bergmannum cæterosque commilitones et amicos meo nomine salutes, precor. Ut rebus nostris bene consulas, ut me Tuis annumerare pergas confido. Summa votorum est Tua salus et sera immortalitas inflexaque ætas. Vale.

Hauniæ IV Calend: 7^{bris} A° MDCCLVII

A Monsieur Mons^r Charles Linnaeus Chevalier et Archiater a Upsala Franco Elsingeur